

Canonico jam alias memorato, qui intra annos 1436—65. quater Rectoris officio functus excessit a. 1472.

II. fol. 151. sequitur *Epistola secunda ad Corinthios lecta pro secundo cursu*. Quae cum eodem calamo exarata sit, quidni ad eundem Interpretem *Gröselium* pertineat. Orditur ille: *Accedendo ad litteram secunde epistole ad Corinthios Notandum primo, quod apostolus paulus precepto domini et saluatoris nostri ammonitus &c.* Et subseribit: *Anno Domini M° CCCC 33. explicit Opus presentis epistole cum dubijs et notabilibus feriis secunda ante francisci.*

III. fol. 208. usque ad finem Collectanea ex omni Theologia solertissime minimis etiam chartae spatii adlita, atque in his Indices in utramque praecedentem *Lectionem*, Versus quidam *μνημονεύματα* sacri, Series Regum *Israel*, *Prologus* in quaedam Statuta Facultatis theologiae *Vindob.* qui incipit: *Testante sapiente nec non experientia rerum Magistra clarius approbante &c.* neque reperitur in *Statutis* a Lambecio L. II. *Comment.* c. 5. vulgatis et a *Kollaro* in T. I. *Analect.* ad col. 41. translatis, habetque inter alia: *Hinc iusto dei — iudicio vere religionis sapientia tanquam ab ingratis abscedit, et in occiduis Europae finibus sedem sibi primum in parisiaca Vrbe delegit, a qua per clarissimos viros patres nostros primitiuos, quorum anime deo uiuant, in hanc australem plagam et hoc spectabile oppidum Wyenn. Apostoli-*

ca suffultos auctoritate — feliciter seminata dimoscitur &c. Jam igitur decesserant *Henricus de Hassia, Henr. ab Oyta &c.* Statuta ipsa absunt. Demum fol. seq. 220. *Stephani Temperii Ep. Parisini* Condemnatio dicentium: *Posse aliquid verum esse secundum Philosophiam, et falsum secundum Religionem Catholicam, et quorundam Librorum de Amore, de Geomantia, Nigromantia &c.* Data anno Domini M° CC° LXVII. dominica qua cantatur *Letare in curia parisiensi.* Error in anno; *Stephanus* enim a. primum 1268. *Episcopatum* adiit. Itaque rectius a. 1277. ut consentiunt *Egass. Bulaeus Hist. Univ. Paris.* T. III. p. 433. *Bibliotheca PP. Lugd.* T. XXV. p. 330. et *Gallia Christ.* T. VII. col. 113. quorum priores duo Condemnationem ipsam referunt, sed mendose, praecipue *Bulaeus*. Unde potiora restituam. *Gentilium scripturis inueniunt, lege, gentilium scriptis muniunt. Non autem quod sic asserere innuunt, videantur responsiones esse, et ita palliant, lege, Ne autem, quod sic muniunt, asserere videantur, responsiones ita palliant. Ne igitur in tantum locutio, lege, Ne igitur incauta locutio. &c.* En Specimen Censurae episcopalis in licentiam opinandi et legendi.

CXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. U. 446
Folior. 153. f. per duas columnas minute exaratus, rubroque distinctus I. completitur *Commentarium*

rium ἀκεφαλον in *Genesin*, qui nunc orditur a v. 2. C. I. *Et tenebre erant*, et finit C. ult. in hunc modum: *cuius eternitatis aditum nobis conferat, qui uiuit et regnat in secula seculorum amen.* Ad calcem: *Anno d. 1347. in Ragern.* Est id Coenobium O. S. *Benedicti* in *Moravia*, cuius initia ad annum 1048. referuntur. Sub finem igitur Seculi ejus tertii scripta est haec Expositio, cuius autor quidem non proditur; aetas tamen inde patet, quod *Henricum de Gandavo* adpellet, qui anno 1293. excessit e vita.

II. fol. 70. succedit, ut in calce manifestatur, *Postilla Magistri Nicolai de lira super Danielem.* Ejus Praefamen incipit: *Ego visionem multiplicauit, in manibus prophetarum assimilatus sum. Osee 12. Verbum propositum primo exponendum est &c.* Atque istud in *Editis* non reperio, sed aliud, cuius initium: *Danieli autem dedit De-*

Explicit hic codex laudetur omnipotens rex.

VI. fol. 117. absque Titulis, *Postilla super Tobiam.* Init: *Tobias ex tribu et ciuitate neptalim &c. In exponendo libros qui non sunt de canone &c.* Ut in *Editis*; abest tamen *Lirani* Prologus: *Haec oportuit facere &c.*

VII. fol. 122. p. 2. *Postilla*, ut in calce, *super librum Judith.* Init: *Arphaxat itaque rex medorum. Postquam (l. Post) bystorias susanne bel et draconis que contigerant &c.* Ut in *Editis*. Hic ad finem *Postillarum Lirani fol. 129.*

us intelligentiam &c. et in quo locus noster *Osee* sub finem tantummodo citatur. Bisne igitur *Danieli* praefatus sit *Lirani*, an alterutrum Praefamen substitutum ab Alio? Extrema nostri una cum expositione C. I. II. et parte III. e vulsa sunt e Codice.

III. fol. 98. *Postilla*, ut in calce, *super Esdras.* Prologus incipit: *Erit sacerdos super folio suo. Zachar. 6. Secundum quod in libris precedentibus dictum est deus sub ratione absoluta &c.* Integra, ut in *Editis*.

IV. fol. 104. p. 2. *Postilla*, ut in calce, *super Neemiam.* Initium: *Uerba Neemiae, Postquam descripta est descriptio populi sub esdra &c.* Ut in *Editis*.

V. fol. 112. *Postilla*, ut in calce, *super librum Hester.* Init: *In diebus assueri. Postquam descriptus est progressus populi de captiuitate &c.* Ut in *Editis*. Ad calcem:

adscriptum est Subplementum Commentarii superioris in *Genesin* Caput XXV. a v. 1. ad v. 19. complexum.

VIII. fol. 130. *Postille*, ut e calce adsumo, *boneuenture super Ecclesiastem.* In Editione *Opp. omn. five Romana 1588.* five *Lugdun. 1668.* extat T. I. haec Expositio, deprompta, ut habet Nota praevia, ex antiquo Exemplari Monasterii f. *Johannis in Seyths* (Seiz) Ord. *Carthus.* Fuit. Monasterium istud in nostra *Styria.*

ria. En igitur aliud Exemplar e nostra *Moravia*. Praescripsit fronti ejus manus paullo recentior: *Prologus Boneventure hic deficit, et expositio eiusdem est in veritate*. Non plane cum ratione; adest enim posterior Prologi pars ab iis verbis: *Verba Ecclesiasticis. Iste totalis liber diuiditur in initium seu probemium in tractatum qui incipit ibi. Vanitas vanitatum, et epilogum, qui incipit ibi. Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes &c.* quae leguntur edit. *Lugd.* p. 297. ubi prave talis pro totalis. Extrema consentiunt, quibus adjectum a Librario: *Anno incarnati. 1346*. Obiter mirari subit, Editionem mox citatam a *Fabricio* ignoratam nequidem a *Mansio* in Supplementis notatam fuisse. Novam se Editionem moliri scripsit *Luc. Waddingus* in *Bibl. O. M.* p. 81. et fortasse *Lugdunenses* anno 1657. extincti adparatu usi sunt.

CXXII.

U. 472
— 85 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 230. f. orditur Seriem Voluminum hoc et sequente Sec. exaratorum, quibus continentur *Commentaria Henrici de Hassia* primi cum *Henrico de Oyta* sacrorum in *Academia Vindob.* Studiorum auspiciis in *Librum Geneseos*, quaeque hic visum est in unum colligere, prout illa vidit et *carnosissima* compellavit *D. Job. Eckius* anno 1516. in *Epistola* ad *Episcopum Eichstadiensem*, quam *Conspectus Hist. Univ. Vien.* exhibet P. five Sec. II. p. 88. Et primum quidem

istud *Volumen* in anteriore *Theca* haec refert: *Istum librum dedit Magister Haynricus de Hassia Doctor Sacre Theologie qui in principio fundacionis huius Collegij huc vocatus fecit hic multa bona. Cui deus retribuat vitam eternam Amen.* Continet porro duplicem illum *Prologum Biblicum*, quo plurimum exponitur *Epistola ad Paulinum*, et *Praefatio ad Desiderium Hieronymi*, quemque jam *Cod.* alio hic indicavi, atque hunc excipiunt ipsa *Commentaria fol. 115.* hoc initio: *In principio creavit Deus celum et terram &c.* Hoc verbum introducens *S. Augustinus undecimo de civ. Dei c. 3^o.* ita dicit. *Quod deus fecit mundum nulli potius credimus, quam ipsi deo &c.* Abrumpuntur in *C. I. v. 14.* his verbis: *Hec Ambrosius, quae alias etiam partim tetigi; monet tamen Librarius Continuationem sequi.*

Volumen II. (*Cod. 476*) aliud est *Commentariorum Exemplar* ab initio pertingens usque ad *C. I. v. 24.* et desinens: *quinte diei vel quinte ferie. Tunc sequitur ultima pars huius primi capituli genesis.* Additum: *De manu M. Pauli.*

Volumen III. (*Cod. 477.*) est *Continuatio prioris* incipiens: *Et vidit Deus quod esset bonum et ait faciamus hominem. Sicut in precedentibus patuit ista litera Et vidit Deus quod esset bonum dupliciter legi potest &c.* et desinens: *permisus est ingredi paradisum Dei serpens ille callidissimus, de quo sequitur in litera. Sed et serpens erat callidior.*